

## VERSION LATINE

### Une révolution aux temps anciens du Latium

*Le roi Évandre raconte à Énée la révolte des Étrusques contre le tyran Mézence et lui demande de se mettre à leur tête.*

Quid memorem infandas caedes, quid facta tyranni  
effera ? Di capiti ipsius generique reseruent !  
Mortua quin etiam iungebat corpora uiuis  
componens manibusque manus atque oribus ora,  
5 tormenti genus, et sanie taboque fluentis  
complexu in misero longa sic morte necabat.  
At fessi tandem ciues infanda furentem  
armati circumsistunt ipsumque domumque,  
obtruncant socios, ignem ad fastigia iactant.  
10 Ille inter caedem Rutulorum elapsus in agros  
confugere et Turni defendier<sup>1</sup> hospitis armis.  
Ergo omnis furiis surrexit Etruria iustis,  
regem ad supplicium praesenti Marte reposcunt.  
His ego te, Aenea, ductorem milibus addam.  
15 Toto namque fremunt condensae litore puppes  
signaque ferre iubent, retinet longaeus haruspex  
fata canens : « O Maconiae<sup>2</sup> delecta iuuentus,  
flos ueterum uirtusque uirum, quos iustus in hostem  
fert dolor et merita accendit Mezentius ira,  
20 nulli fas Italo tantam subiungere gentem :  
externos optate duces. » Tum Etrusca resedit  
hoc acies campo monitis exterrita diuum.  
Ipse oratores ad me regnique coronam  
cum sceptro misit mandatque insignia Tarchon,  
25 succedam castris Tyrrhenaque regna capessam.  
Sed mihi tarda gelu saeculisque effeta senectus  
inuidet imperium seraeque ad fortia uires.  
Natum exhortarer, ni mixtus matre Sabella  
hinc partem patriae traheret. Tu, cuius et annis  
30 et generi fatum indulget, quem numina poscunt,  
ingredere, o Teucrum atque Italum fortissime ductor !

Virgile, *Énéide*

<sup>1</sup> Forme archaïque de l'infinif présent passif.

<sup>2</sup> Allusion à l'origine lydienne des Étrusques.